Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. I. Pars II.
Wien, 1794 Seite 1597
Quelle:
Copyright:

Concilium mittere, adſiſtere contra errores in *Bohemia* gliſcentes, ſignificare, ſi quid cenſeret in Clero reformandum; jam enim inceptam eſſe reformationem Eccleſiae *in capite et in membris*. Inde liquet has Literas ſcriptas, miſſumque *Johannem* intra 12. *Nov.* et 25. *Dec.* 1414. Num vero integrae alicubi extent, haud ſcio. VI. *Litera Conſilij conſtancienſ. Johanni Epiſcopo lythomislenſi directa.* Init: *Sacroſancta* &c. *dilectis in chriſto filijs clero ciuitatis et dioc. pragen.* — *Quantam et qualem animis noſtris amaritudinem attulerunt ea* &c. Itaque potius *Johanni* in viam data, legitur enim: *Quamobrem fratrem Jo. Epiſcopum luthomisl. cuius eximias virtutes aperte vidimus et cognouimus ad confirmandos catholicorum et iuſtorum animos — et eradicandum — curauimus deſtinare* &c. Cui porro ut omnes adſiſtant, hortatur Concilium. *Conſtancie 4. Non. Septemb. 1415. Apoſtolica ſede vacante.* De Miſſione hac video quidem memorare Scriptores, *Credentiales* vero noſtras non adferunt. VII. Literae Vitae Morumque teſtes datae cuidam Ἀνωνύμῳ a *Magiſtro Civium et Coſs. nouae Civit. Pragenſis* ad *Protho-conſulem et Coſs. in B.* Generalis quaedam Formula. VIII. Titulo *Litere ſatirice* nugax quaedam Imprecatio *Deliae* in Venatorem, quae incipit: *Venatus uſurpator impertinens* &c. eo fine, ut videtur, conſarcinata, ut ſibi quis Vocabula τεχνικα Artis venatoriae familiaria reddat. Memoratur inter alia *Slawkonis Inſula.*

IX. *fol.* 59. *Proteſtatio et Appellatio Magiſtri Johannis Hus a Concilio conſtancienſi ad Deum ſupremum Judicem.* Init: *Quia Deus omnipotens vnus in eſſentia* &c. Ut alibi etiam cum mentione *Stanislai* et *Stephani Palecz.*

X. *fol.* 60. *De ritibus in miſſa currentibus* et *de Suffragijs Sanctorum.* Potiſſimum e Patribus lecta.

XI. *fol.* 63. p. 2. *Ymnus de Magiſtro Johanne Hus.* In Eccleſiis nempe cantandus:

Plaudat chorus fidelium
Laudes ſoluendo debitas
Cuncta regenti Domino
Per quem victores triumphant.

Qui de gente Boemie
Mundi vergente termino
Zelatorem ſue legis
Johannem Hus dedit populo &c.

Stropharum 6.

XII. *ibid.* Proteſtatio Univerſitatis *Prag.* contra Combuſtionem Librorum *Wicleſi* a *Sbincone* Archiep. celebratam concluſa a. 1410. 15. *Junii in plena congregatione*, ut ait, et publicata 21. *Jun. ex certis et rationabilibus cauſis ad euitandum ſcandala et pericula.* Certe populo jam *Huſſi* et Adſeclarum concionibus commoto, qui ſibi hic Academiae